

erat, quod ante Concilia Florentinum et Tridentinum scripserit. Hanc autem veniam non æque merentur nonnulli, qui cum Estio, post illa Concilia idem dicere ausi sunt. Cæterum Morinus Dominicum Sotum, Vasquesium et Belarminum immerito in suam sententiam pertrahere conatur; contrarium enim docent: ac Sotus quidem in 4. d. 14. q. 1. a. 3. *Qui deprecatione, inquit, solum utitur, non absolvit, sed absolutionem petit a Deo.* Et §. ult. negat valere formas: *Absolvat te Deus, vel, tribuat tibi absolutionem,* eo quod deprecative accipiantur. Hanc ergo formam, *absolvit, vel, absolvat te Christus,* cum valere ait d. 3. q. un. art. 5. imperative accipit, non deprecative. Quo modo Arcudius recte ita argumentatur: *Si in sermone trito illa verba, parcat tibi Deus, idem sonant, quod, ego tibi parco, profecto poterunt in sacramento, nisi aliud obstet, h. e. Ecclesiæ consuetudo, eodem sensu dici, et valebit sacramentum.*

128. *Obj. III.* Christus Matth. 16. et 18. et Joan. 20. dedit etiam Ecclesiæ potestatem ligandi et solvendi a censuris, et nihilominus sola preceatione possunt absolvi ab excommunicatione; ergo etiam a peccatis.

R. N. *Cons.* Etiam nutu, scripto, familiari conversatione, collatione officii aut beneficii possunt absolvi ab excommunicatione, quamvis absentes; quod tamen nemo de sacramentali absolutione dixerit. Igitur cum absolutio a censuris non sit actio sacramentalis, arbitrio Ecclesiæ omnino permissa est. E contra sacramenti forma a Christo determinata, ab Apostolis tradita Ecclesiæ, ab hac immutari non potest.

### ARTICULUS III.

#### QUIS SENSUS SIT VERBORUM FORMÆ HUIUS SACRAMENTI?

129. *Nota I.* Jam supra n. 97. ad Instantiam meminimus, Magistrum non extendere potestatem clavium ad remissionem culpæ: nam dist. 18. Lit. F. scribit, sacerdotibus tantum concessam esse potestatem *solvendi et ligandi, id est, ostendendi homines ligatos vel solutos.* Unde sensus verborum, *absolve te,* alius ipsi non est, quam, *absolutum ostendo et declaro.* Hunc sequuntur ibid. q. 1. a. 2. S. Bonaventura, Gabriel, Major, Alexander 4. p. q. 21., Medina tract. 2. q. de effect. absolut.

*Nota II.* Sensus alius horum verborum est: *Absolve te,* non a culpis, sed ab obligatione eas subjiciendi clavibus Ecclesiæ. Hanc interpretationem referunt S. Bonaventura et Alexander, et ex parte sequitur Gabriel d. 18. q. 1.

Richardus autem Victorinus L. de Potest. lig. et solv. c. 21., Hugo Vict. L. 2. de Sacram. p. 14. c. 8. et Scotus d. 14. q. 2. ad 2. arbitrantur, verbis illis significari remissionem pœnæ vel æternæ, vel temporalis, juxta indigentiam pœnitentis. His adversatur Jansenistarum error, qui totam reconciliationem peccatoris cum Deo fieri putant contritione perfecta et debitæ satisfactionis executione: unde hanc præmittendam esse contendunt, ac demum a sacerdote verbis illis declarari oportere, ipsum a peccato jamjam esse immunem.

130. *Dico I.* Sensus verborum absolutionis non est: Ego te ostendo, declaro a peccatis absolutum. Ita S. Thomas q. 84. a. 3. ad 5. et in dist. 18. q. 1. a. 3. quæstiunc. 1. et cum eo Theologi veteres ac recentiores.

*Prob.* Argumentum, quo ex verbis S. Scripturæ utuntur, Richardus ita proponit c. 12. *Extat quorundam sententia tam frivola, ut ridenda videatur potius, quam refellenda: putant enim et prædicant, Sacerdotes non habere potestatem ligandi atque solvendi, sed ostendendi homines esse solutos sive ligatos: sed numquid Dominus dicit, quodcumque ligatum ostenderit erit ligatum, et quodcumque solutum ostenderit erit solutum? Dicunt, Apostolicos viros peccata remittendi vel retinendi potestatem non habere, cum Dominus hoc dicat. Dicunt eos tantummodo habere potestatem utrumque ostendendi, cum Dominus hoc non dicat.*

Ex eisdem Christi verbis Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 6. decidit, sacerdotis absolutionem non esse *solum nudum ministerium declarandi remissa esse peccata.* Et can. 9. contrarium propugnaturus anathemate ferit.

*Conf. 1.* Declaratio ista peccati remissi non fit Deo, neque Ecclesiæ, cum plerumque secreta sit: nec fieri semper potest pœnitenti, qui sæpe surdaster est aut moribundus sensu destitutus; ergo esset sermo plane otiosus.

Imo cum effectum divinæ gratiæ et remissionis peccatorum jam præsumeret, secundum se quoque esset omnino inutilis æque ac fides, qua hæretici credunt remissa sibi esse peccata per Christum.

*Conf. 2.* Hac Magistri explicacione enervatur omnis potestas ecclesiastica. Quis enim dixerit, Papam et Episcopos illis Christi verbis, *quæcumque alligaveritis, et solveritis,* etc. vere accepisse facultatem dispensandi, aut censuris adstringendi, si aliud nihil possint, quam declarare, hunc lege non teneri, hunc esse ligatum?

Denique supervacaneum foret ministerium sacerdotum; cum quivis doctus et prudens vir conscientiam pœnitentis accuratius posset explorare, ac de obtenta peccatorum venia judicium ferre, quam sacerdos, qui litteris et ingenio minus polleret.

131. *Dico II.* Neque sensus formæ absolutionis est: Absolve te obligatione subjiciendi peccata clavibus.

*Prob. I. eod. argum.* Christus Joan. 20. dedit potestatem remittendi peccata: at solverè aliquem ab obligatione præcepti, non est remittere peccata; ergo hoc sensu non exercetur proprie facultas a Christo sacerdotibus impertita.

*II.* Nullum sensum talis absolutio haberet, si quis confiteretur tantum peccata venialia, aut lethalia alias jam legitime in confessione prolata.

*III.* Potest quis absolvi a peccatis, quin ab obligatione illa confitendi solvatur, ut in materia de casibus reservatis indicatur.

*IV.* Ad talem effectum non oporteret gratiam conferri in sacramento, nec requireretur dispositio ulla supernaturalis in pœnitente ad obligationis hujus solutionem obtinendam; ergo talis absolutio nihil participaret de ratione sacramenti. Imo nec utilis esset nec necessaria, cum se onere confitendi sola culparum suarum narratione peccator exsolvere posset, sine forma ulla verborum ab audiente sacerdote adhibita.



132. *Dico III.* Neque etiam forma memorata habet hunc sensum : Absolve te a pœna peccatis debita.

*Prob. eisd. argum.* Secundum hanc opinionem sacerdotes nunquam remitterent peccata : Christi autem verba, *quorum remisistis peccata*, etc. in sensu proprio accipi oportet, nisi vel Ecclesia aliud statuatur, vel circumstantia litterarum aliud requiratur.

Deinde contingere potest, ut quis iterum se accuset peccatorum tam mortalium, quam venialium, quæ olim pœnitentiæ virtute et sacramento quoad culpam et pœnas omnes abunde expiavit, ita ut nullus formæ tali effectus superesset.

133. *Dico IV.* Verum sensum formæ hujus sacramenti nobis exponit S. Thomas dicto art. 3. ad 5. : *Absolve te, id est, sacramentum absolutionis tibi impendo.* Hanc B. Thomæ sententiam Theologi fere omnes hodie sequuntur, ut omnium optimam.

*Prob.* Per formam absolutionis primario ac directe significatur, et efficitur peccatorum remissio virtualis, seu talis formæ positio, quæ secundum se faciat hominem formaliter ex peccatore justum. Sive ergo pœnitens ante absolutionem justus jam sit, sive adhuc peccator, semper vere profertur in eum memorata sacramenti forma ; licet in solo peccatore per imperfectam contritionem disposito remissionem etiam formalem et significet, et operetur. Et ratio est ; quia sacramentum omne per se ac præcipue significat effectum suum primarium seu gratiam ; ergo etiam Pœnitentiæ sacramentum præcipue significat eandem gratiam prout remissivam peccati. *Prob. seq.* Si pœnitentia significaret et efficeret primario ac immediate remissionem peccati, et gratiam tantum secundario ac indirecte ; ergo peccati remissio antecederet gratiam ; cum tamen unica causa formalis nostræ justificationis dicatur gratia a Tridentino Concilio Sess. 6. c. 7., et omnis formæ veteris privatio formæ novæ inductione posterior censeatur.

134. *Obj. I.* Verba illa Christi, Luc. 7. v. 48. : *Remittuntur tibi peccata*, tempore præsentis proferebantur ; eis tamen Christus tantum declaravit ac testatus est, peccatricem solutam suis criminibus esse, prius enim erant jam dimissa ; ergo etiam forma, *absolve te*, vera erit, licet declaret tantum, peccata a Deo dudum dimissa esse.

*R. N. Ant.* Textus enim græcus exprimit in tempore præterito : *ἀφέωνται σου αἱ ἁμαρτίαι*, remissa sunt tua peccata.

135. *Obj. II.* Quamvis peccata per contritionem fuerint remissa, non tamen sine ordine ad absolutionem ; ergo hoc sensu peccata illa dicuntur remitti per formam absolutionis subsequentem, quod per hanc illorum remissio quasi compleatur et consummetur. *Confirm.* Sicut Christus Patres dudum ante a peccatis mundatos dicitur redemisse, quia justificati erant in virtute pretii, quod postea solvit ; ita quamvis peccatum fuerit remissum prius, tamen per hoc sacramentum fit quasi solutio et specialis applicatio meritorum Christi ad consummandum illum effectum.

*R. N. Cons.* Hæc explicatio non tenet in venialibus per contritionem prius remissis : neque in peccatis mortalibus jam semel absolutione sacramentali

deletis. Neque ad rem præsentem facit exemplum illud de justificatione Patrum antiquorum : iis enim prius facta est applicatio meritorum Christi, quam exhibitio pretii a Christo fieret. Nunc autem ex parte Christi, cum solutio jam sit sufficienter exhibitæ, eadem tunc efficaciter applicatur, quando datur effectus divinæ gratiæ : at hic effectus datur per contritionem ; ergo per absolutionem non applicantur merita Christi ad solvendam remissionem peccati per contritionem ante dimissi, neque applicatio meritorum Christi reservatur in illud tempus, quo est applicandum sacramentum, utcumque contritio votum sacramenti contineat. Igitur modus iste non videtur satis accommodatus esse ad sacramentalis formæ sensum exponendum, eo quod vi formæ novus effectus a sacramento non producat.

136. *Obj. III.* In verbis istis, *absolve te*, tacite subauditur, *quantum indiges* ; quare solum remissionem peccati significant, quantum ad id, quod de facto tollitur : ergo hic adæquatus verborum istorum sensus secundum se unus semper et idem est.

*R. N. Cons.* Nam si pœnitens ob remissa prius et plane expiata peccata, nullius amplius indigeret, forma in dicto sensu nec operaretur quidquam, nec significaret.

137. *Obj. IV.* In sacramento Pœnitentiæ remittitur pœna æterna, et aliquid etiam de pœna temporali ; ergo formæ sensus recte statuitur iste : Absolve te a pœna peccatis debita.

*R. N. Cons.* Tam ob rationes conclus. 3. adductas, quam quod remissio pœnæ æternæ tantum significetur indirecte per formam, prout nimirum fit : fit autem non per se, sed quatenus culpæ remissionem consequitur, in qua comprehenditur. Quare etiam eandem conditionem includit, scilicet si sit in homine talis reatus qui remittatur : quæ quidem conditio deficit in iis, qui peccata gravia recitant, quibus antea jam sunt absoluti, et in iis, qui venialium tantum se accusant. Temporalium vero pœnarum remissionem forma eadem indirecte significat pro modo dispositionis, quam pœnitens ad sacramentum adhibuit. Quod si Baptismus fluminis, qui virtus tantum pœnitentiæ est, tanta virtute quandoque pollet, ut cum culpis omnem etiam reatum pœnæ temporalis abstergat ; quanto magis effectum istum præstare poterit Pœnitentiæ sacramentum, dummodo peccator tam perfecta contritione sese ad effectum istum digne disposuerit.

138. *Obj. V.* Forma sacramenti idem significat, sive ad peccatorem edicatur, sive ad pœnitentem jam justificatum : atqui prolata ad justificatum non significat tolli vinculum peccati ; ergo hoc etiam non significat dicta peccatori. *Minor* constat inductione. Rideretur enim, qui homini soluto ac libero diceret : solve te vinculis aut carcere.

*R. D. min.* Prolata ad justificatum non significat, peccati vinculum tolli immediate, proxime et formaliter *C.* mediate, remote ac virtualiter *N.* In utroque significat : impendo tibi sacramentum absolutionis et signum illud effectivum gratiæ, qua reddaris amicus Dei, et in libertatem filiorum ejus vindicaris : quæ quidem gratia formalem etiam remissionem peccati operatur in eo, qui adhuc peccatis obstrictus tenetur. Igitur ridiculum non est, pœ-



nitenti etiam justificato dici : *Absolvo te* ; nam verba, *condono, absolvo, remitto, etc.* in usu humano non unice reconciliationem formalem et actualem, sed etiam radicalem et virtualem significant : neque filius, patrem, quem sibi reconciliatum esse novit, denuo veniam rogans, ridetur, quasi rem jam factam, adeoque impossibilem postularet. Ergo homines iteratam condonationem possibilem putant, et ipsis vox, *condono*, quantum in se, idem sonat, ac, *eo affectu te prosequor, qui est impossibilis cum jure ad odium, sive id fuerit, sive etiamnum existat.* Atqui identidem justi quotidie Deum obsecrant : *Dimitte nobis debita nostra* ; nec id incassum, nam eundem gratiæ Dei effectum sibi exhiberi deprecantur.

*Inst. 1.* Disputatur hic potissimum, quem sensum verba ista, *absolvo te*, habuerint ex usu hominum, ante significationem mysticam ex Christi institutione adjectam : atqui ex hominum usu non significant gratiam sanctificantem, neque sacramentum absolutionis ; ergo non satis commode dicuntur primario significare gratiam sanctificantem sacramento absolutionis impertiendam.

*R. D. Ass.* Ista non significant ex usu hominum determinate et explicite *C.* indeterminate et confuse *N.* Verbo, *absolvo*, indicatur quælibet vera absolutio, qualis etiam usu hominum habetur virtualis seu radicalis absolutio nuper explicata. Cum ergo gratiæ sacramentalis communicatio sit vere absolutio virtualis, et quandoque etiam formalis ; hæc utique voce hac, *absolvo*, sensu vulgari accepta, comprehenditur, licet indeterminate et confuse.

*Inst. 2.* Forma Baptismi et aliorum sacramentorum collationem gratiæ etiam significat ; ergo a significatione sacramenti Pœnitentiæ non distinguitur.

*R. D. Ant.* Significat collationem gratiæ ex institutione sua sacramentali *C.* ex significatione quam habet communi hominum usu *N.* Significatio sacramentalis Baptismi, Pœnitentiæ et aliorum sacramentorum, gratiam determinate etiam exhibet. E contra significatio, quam verba Baptismi habent ex usu hominum, non præfert gratiam, sed solam intinctionem aut ablutionem corporis : cum tamen vox, *absolvo*, quia quamcumque liberationem a culpa significat ex usu hominum, illam etiam, quæ gratiæ collatione fit, necessario sua significatione, licet indeterminate et confuse contineat. Ex quibus etiam apparet discrimen inter eum, qui homini dudum e vinculis et captivitate erepto diceret : *Solvo te vinculis et carcere*, et inter sacerdotem, qui pœnitenti justo dicit : *Absolvo te* : nam prior vel ludit, vel declarat mere et confirmat exemptionem factam ; quia verba ejus habent pro objecto immediato realem, formalem et actualem solutionem vinculo- rum : cum vicissim sacramenti forma objectum habeat quamcumque etiam virtualem liberationem a culpa factam.

*Inst. 3.* Ergo forma absolutionis partim se haberet ipsam pro objecto, et simul gratiam Dei, peccatum destruendum et hominem absolvendum.

*R. C. Illat.* Sæpe contingit, ut actus intellectus aut voluntatis se ipsi habeant partim pro objecto : ita voluntas aliquid donandi, præcipiendi, prohibendi debet per se ipsam id velle præstare, ut : declaramus Caium innocentem, addicimus ei hæreditatem, lego ei hortum suburbanum : et apud Logicos omnis cognitio est actus vitalis, omnis vox est sonus aere percusso editus. Igitur,

sicut sacramenta cætera significant effectus suos, non omnino absolute, sed quantum est ex parte sua : ita et forma pœnitentiæ significat efficaciam absolutionis a peccatis, quantum est ex se, atque hoc modo significationem sacramenti ex se remissivi peccatorum, non in actu quidem signato, sed in actu exercito. Quæ omnia breviter expressit Hugo Victorinus L. 2. de Sacram. p. 14. c. 8. dicens, *hanc formam magis significare virtutem suam, quam eventum.*

## ARTICULUS IV.

## UTRUM ABSOLUTIO SINE VERBIS DARI POSSIT ?

139. *Nota I.* Ad essentiam formæ absolutionis sufficere signa, quæ intentione sacerdotis de pœnitente absolvendo convenienter exprimatur, ut sunt scriptura, aut nutus, existimarunt olim quidam Theologi non ignobiles, ut Paludanus d. 17. q. 2. a. 1. num. 7., Medina Cod. Confess. q. de modo confit., Petr. Sotus lect. 11. de Confess., ubi dicit, hanc sententiam posse secure teneri, *quam tenent*, inquit, *plures nostrorum.* Sylvester, Armilla, Tabiena, Rainerius, et præcipui veterum Thomistarum, inter quos S. Antoninus 3. p. tit. 44. c. 19. §. 9. et tit. 17. c. 12. et c. 21. §. 3. refert in Conc. Basileensi tractatam fuisse quæstionem, quid faciat sacerdos, qui sine jurisdictione audivit confessionem, et absolvit pœnitentem, multosque dixisse, posse postea petere jurisdictionem, et absolvere illum ubicumque sit. Opinionem eandem indicant Adrianus, Navarrus, et complures alii.

*Nota II.* Ad idem argumentum spectat quæstio, utrum sacerdos absentem possit absolvere ? nam licet verba protulerit, verba tamen propria esse non possunt ei, ad quem diriguntur : cum enim ab eo non percipiuntur, rem significatam in eo exprimere non possunt. Posse in casu necessitatis confessionem fieri sacerdoti absenti et ab eodem absente absolutionem dari, tenuerunt auctores modo recitati cum Richardo, Majore, Alexandro, et quibusdam aliis, quorum sententiam Dom. Sotus, Relect. de tegendo secreto, memb. 3. q. 4. concl. 5. dub. 4. ait, fortasse esse veram.

Quamvis autem S. Thomas in Quodlibeto quodam doceat, confessionem fieri posse per scripturas, ut Suarez memorat ; nihilominus in 4. d. 17. q. 3. a. 4. q. 3. ad 3. ait, in extrema necessitate utilius esse confiteri laico præsentem, quam sacerdoti absenti ; ubi innuit, sacerdotem absentem absolvere non posse. Eum sequitur Scotus, nixus eo argumento, quod confessio debeat esse secreta : quod sane rem intentam non evincit. His consentiunt Thomistæ, Cardinalis Toletus, Suarez, Gregorius de Valent., Edmundus Augerius Catechismi c. 4. lect. 7., ac Theologi recentiores omnes.

140. *Dico I.* Sacramenti hujus forma sufficiens verbis propriis ac voce humana est proferenda. Ita Magister in 4. d. 14., S. Thomas q. 84. a. 3. ad 3., et Theologi modo laudati.

*Prob.* Juxta Decretum EUGENII in Concilio Florentino editum, sacramenta novæ legis constant verbis ; a qua regula generali non est facienda exceptio, verba analogice aut in sensu improprio accipiendo in sacramento aliquo, nisi Ecclesiæ traditio aut consensu Doctorum id suadeat : atqui nec tradi-



tio Ecclesiæ, neque Doctorum consensus exceptionem talem in Pœnitentiæ forma faciendam suadent; ergo. *Prob. min.* Ex documentis antiquis constat, in Ecclesia dum pœnitentes absolventur, semper adhibita fuisse verba formalia vel phrasi indicativa vel imperativa, vel, ut quibusdam placet, deprecatoria aut impetratoria: nec apparet vestigium, quod nutu aut signo alio verbis æquivalente sacramentum hoc fuerit unquam administratum.

Quid, quod Concilium FLORENTINUM in dicto Decreto doctrinam istam de Pœnitentiæ sacramento vel maxime explanat docens, formam hujus sacramenti esse *verba*, quæ sacerdos *profert*, cum *dicit*, etc. Cui consonat Synodus TRIDENT. Sess. 14. cap. 3. declarans, formam sacramenti Pœnitentiæ in illis ministri *verbis* positam esse: neque preces adjungi solitas ad formam pertinere.

Ex quibus intelligimus, vera ac formalia verba a Conciliis ad Pœnitentiæ et quinque priorum sacramentorum formas absolute requiri: nam memorandum Concilii FLORENTINI Decretum in solo Matrimonii sacramento cum exceptione loquitur, dum ait, causam ejus efficientem esse *regulariter* consensum per verba de præsentem expressum.

141. *Dico II.* Sacerdos non potest absolvere nisi præsentem.

*Prob. I.* Quod in usu et administratione sacramenti Ecclesia nec facit, nec fecit unquam, signum est fieri non posse: atqui nullo exemplo doceri potest, absentem a sacerdote unquam absolutum fuisse; ergo. *Major* inde patet, quod fere omnia, quæ ad doctrinam et disciplinam de sacramentis attinent, licet in S. Scriptura fundentur, ex usu et traditione Ecclesiæ firmari præcipue oporteat ac declarari.

*Prob. II.* Nuper ostendimus, ad sacramenti hujus formam sermonem humanum necessario requiri. Præterea est talis sermo, qui dirigatur ad personam aliam per pronomen, *te, tibi, vos, vobis*, et in formulis preceptoris, *hie, iste*, etc. Atqui particule tales ad veritatem sermonis personam præsentem exigunt: sicut in forma Eucharistiæ particule *hoc, hic*, subjectum, in quod efferuntur, præsens requirunt; neque fieret transsubstantiatio ab eo, qui per pronomina, *illud, ille*, formas consecrationis in panem, aut calicem absentem ediceret. Ergo idem tenendum est de forma sacramenti Pœnitentiæ.

*Prob. III.* CLEMENS VIII. anno 1602. die 19. Jul. *Hanc propositionem, scilicet licere per litteras seu internuntium confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, et ab eodem absente absolutionem obtinere, ad minus uti falsam, temerariam, et scandalosam damnavit, ac prohibuit*, etc. Atqui non damnavit Pontifex simpliciter confessionem absenti factam, ut constat ex declaratione per PAULUM V. Rituali Romano adjecta, et ex iis, quæ infra dicturi adhuc sumus; ergo damnavit potissimum eam partem, qua absolutio absenti impertita defenditur.

142. *Obj. I.* Cum Pœnitentiæ sacramentum sit institutum per modum judicii, nihil essentialiter postulat, quod non sit de essentia judicii: atqui de essentia judicii non est, ut verbis formalibus sententia feratur, sed scripto solet sæpe dari, ac nutibus fieri etiam potest; ergo.

R. N. M. Actio sacramenti Pœnitentiæ in pluribus a judicio forensi discrepat: idem enim in hoc sacramento actor, reus, et testis est, cui pro se et

contra se peroranti fides habetur; et qui nunquam damnari potest, sed semper absolvitur, dummodo vere pœnitens accesserit. Neque hic paritatem peti posse a potestate solvendi a censuris, ostendit responsio ad Obj. 3. n. 128.

143. *Obj. II.* Quamvis Concilium FLORENTINUM in laudato Decreto EUGENII tradat, *confessionem oris* partem esse materialem sacramenti Pœnitentiæ, illa tamen scripto, nutu, aut absentem etiam facta sufficit; ergo licet idem Concilium doceat, absolutionem verbis impertitam, esse formam hujus sacramenti, poterit eadem etiam nutu præsentibus, aut per litteras absenti dari.

R. N. Cons. Ex usu perpetuo Ecclesiæ, ex Patrum et Conciliorum traditione novimus, a Christo sola verba pro absolutione fuisse assignata, non item pro confessione: expressior enim significatio magis ex parte formæ requiritur, quam ex parte materiæ. Declarantur ista ex Baptismi administratione et Eucharistiæ, quorum formas vera verba a Christo præcepta fuisse nemo dubitat; etsi hujus præceptionis argumentum potissimum ab Ecclesiæ traditione constanti petatur.

*Inst.* Etiam ad sacramentum Matrimonii peragendum verba ordinarie requiruntur, quod nihilominus in casu necessitatis nutu, ac litteris etiam inter absentes perficitur; ergo idem tenendum de absolutione sacramentali ideo necessaria, præsertim in casu, quo sacerdos loquendi impotens pœnitentem non nisi per signa alia absolvere potest.

R. N. Cons. In Matrimonio Christus naturalem contractum honorare tantum voluit, et in eo altiore sacramenti rationem fundare, igitur materiam et formam priorem reliquit: at in sacramento Pœnitentiæ ritum specialem instituit, eique specialem formam novæ Legis sacramentis accommodatam destinavit, quæ verbis proprie talibus constaret. Quod si in Baptismo, qui majoris multo necessitatis sacramentum est, quoad formam verbalem dispensatum non fuit, quanto minus id erat opus in hoc sacramento, cujus defectum pœnitens contritione supplere poterit.

144. *Obj. III.* Ex sola natura et institutione sacramenti Pœnitentiæ perquam difficulter suadetur, absolutionem per signa verbis æquivalentia datam, aut litteris absenti missam, jure divino irritam esse ac nullam, sed potissimum theseos nostræ argumentum ab usu et traditione Ecclesiæ sumitur. Atqui exempla plura absolutionum absentibus missarum exhiberi queunt: nam 1º. S. CYPRIANUS L. 1. epist. 17. scribit, se recepisse confessiones aliquorum absentium per scripturam; ergo videtur ipsis etiam absentibus reddidisse absolutionem, hujus enim ac confessionis par est ratio. 2º. S. THOMAS Cantuariensis in carcere detentus, Romam pro impetranda absolutione misit (ap. Baronium ad an. 1164.). 3º. Apud EUSEBIUM L. 6. c. 44. Serapion quidem ægotans misit ad presbyterum quemdam ægotantem, ut ipsum absolveret, et sibi Eucharistiam per ministrum quemdam mitteret: qui, cum illi Eucharistiam mitteret, præsumitur etiam illum absolvisse. 4º. ROBERTUS Cenomanensis episcopus morti proximus a Patribus Concilii Duziacensis an. 872., et Potamius Bracarenensis episcopus a Patribus Concilii X. Toletani absolutionem obtinuerunt. Sed et Hildebaldo Suessionensium episcopo absolutionem per litteras postulanti dedit Hincmarus archiepiscopus Rhemensis. 5º. Hisce accedit iudicium Patrum



multorum Concilii BASILENSIS, quod initio hujus art. ex S. Antonini 3. parte adduximus.

R. N. *Assumpt.* Omnibus hisce inductionibus non assequitur Morinus, quod sibi probandum sumpserat. Nam

*Ad 1<sup>um</sup>.* R. contrarium magis ex S. CYPRIANI testimonio colligi: scribit enim epist. 10. se mandasse, ut ex presbyteris praesentibus unus eis pacem daret: quod si presbyter non adfuerit, diaconus id faceret: unde apparet, ipsum loqui tantum de reconciliatione quadam ad poenitentiam publicam pertinente. Igitur si reconciliationem istam opera praesentium praestari oportere S. Episcopus judicavit, quanto magis praesumitur idem praestandum judicasse de absolutione sacramentali.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. Quid S. THOMAS petierit ab Alexandro III., ex ejusdem Pontificis rescripto constare, quo ipsum monet, *ut si quid commisit, de quo propria conscientia debeat remordere, illud sacerdoti, qui discretus sit et providus, confiteatur.* S. Episcopus ergo veniam solum petiit, vel a suspensione, quam ipse sibi, ne sacrum faceret, imposuerat, vel a poenis canonicis. Ejusmodi relaxationes a poenis canonicis etiam fuisse illas absolutiones, quas GREGORIUS VII. frequenter absentibus misit, testatur Morinus ipse L. 10. cap. 22. n. 6. Nec magis probat, quod c. *Qualis* 30. q. 5. praecipitur, adulterae poenitentiam per scriptum recipendam esse: nam ibi non agitur de absolutione, sed de confessione; idque non propter judicis absentiam, sed ob majorem fidem et certitudinem. Unde evidens est, scriptam illam confessionem non exigi ad absolutionem sacramentalem, sed ad aliam judicialem.

*Ad 3<sup>um</sup>.* R. Serapioni non legitur data fuisse absolutio sacramentalis, sed tantum Eucharistia per puerum missa, et consequenter pax et reconciliatio cum Ecclesia: nam quod metu victus coram tyranno fidem negaverat, ad statum publice poenitentium erat redactus.

*Ad 4<sup>um</sup>.* R. ROBERTUM generaliter tantum confessum obtinuisse absolutionem solum ceremonialem a censuris et poenis; qualis etiam a Cisterciensium superiore moribundis datur, et absolutio ordinis nuncupatur. Potamius postea se Concilio stitit, et confessione praesentibus iterata, non fuit absolutus, sed de sede dejectus, et poenitentiae perpetuae damnatus, alio in ejus locum subrogato. Hoc igitur exemplum ipso teste Morino ad rem praesentem non est.

*Ad 2<sup>um</sup>.* R. Afferri quorundam Theologorum aut Patrum sententiam opinantium, quid posse fieri sibi videatur, non vero factum, quo solo firmari objectio debuerat.

143. *Obj. IV.* Propositio a CLEMENTE VIII. proscripta ait, *licere*, ab absente absolutionem obtinere; ergo ex hujus Pontificis decreto nondum evincitur, absolutionem talem non sufficere.

R. N. *Cons.* Pontifex praecipit, *ne deinceps ista propositio... unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxin quovis modo deducatur.* At si absolutio absenti data sufficeret, saltem in extremo necessitatis casu propositio illa ad praxin deduci probabiliter posset, ac deberet; ergo.

## CAPUT III.

## DE PRIMA PARTE MATERIALI POENITENTIAE SACRAMENTI, QUAE EST CONTRITIO.

## ARTICULUS I.

## SITNE DOLOR ALIQUIS INTERNUS DE ESSENTIA HUIUS SACRAMENTI?

*Nota.* Existimabant nonnulli, ad sacramenti Poenitentiae effectum non requiri poenitentiam formalem, sed sufficere voluntatem confitendi et recipiendi absolutionem, modo poenitens nullo actu formaliter aut virtualiter peccato adhæreat: nam cum voluntas confitendi sit voluntas abjiciendi peccatum, et recuperandi gratiam, hoc ipso quaedam virtualis poenitentia est. Ita sentit Sylvester verb. *Confessio* 1. q. 21. Idem de Baptismo clare affirmavit Sotus in 4. d. 14. q. 4. a. 3.

146. *Dico.* Dolor aliquis internus atque supernaturalis omnino est de essentia Poenitentiae sacramenti, etiam cum tantum venialia, aut mortalia olim jam absolutione remissa pro confessione exponuntur. Ita S. Thomas q. 84. a. 6. ac saepe alias, ac Theologi communiter, vix uno et altero contradicente: nam nonnullos in loquendi modo tantum ab hac thesi discrepantes notavimus c. 1. a. 4.

*Prob.* Concilium TRIDENT. Sess. 14. c. 3. docet, contritionem esse partem et quasi materiam hujus sacramenti: atqui non est pars mere integralis; ergo est pars essentialis. *Prob. min.* Poenitentiae actus formalis per se loquendo est medium simpliciter ad justificationem necessarium, ut alibi demonstratum est; et Concilium Trid. cap. 4. declarat, contritionem semper fuisse necessariam ad peccatorum remissionem impetrandam, nec scriptores Catholici unquam tradiderunt, sacramentum Poenitentiae absque bono motu suscipientium, gratiam conferre.

Ex hactenus disputatis liquet altera pars theseos. Nam peccata mortalia, quae in priore confessione jam absoluti sumus, peccata item venialia sunt materia remota sacramenti Poenitentiae, et sola etiam perquam utiliter pro confessione recitari queunt, ut cit. Concilium Tridentinum habet cap. 5; ergo etiam ad illorum confessionem necessaria est contritio, ne sacramentum Poenitentiae nullum sit defectu partis essentialis.

147. *Obj. I.* Quod pertinet ad sacramentum ut pars, debet fieri cum intentione, ut fiat sacramentum: atqui hoc non est opus ad contritionem, qua poenitens ad absolutionem disponitur; nam si quis pridie vesperi excutiens conscientiam, nihil de confessione cogitans, vere conteratur, ac postridie